

05  
A  
514



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-552237-p0002-7

DFG

I. N. 3.

DISPUTATIO THEOLOGICA  
ANTI-SOCINIANA

De

SCRIPTURA SACRA,

In Illustri Academia Wittebergensi,

SUB

P R A E S I D I O

VIRI

Maxime Reverendi, Amplissimi Excellentissimiq;<sup>z</sup>,

DN. JOHANNIS DEUTSCH-

M A N N I,

SS. Theol. D. Ejusdemq; Prof. Publ. longè Celeberrimi,

Alumnorum ELECTORALIUM Ephori gravissimi, ut & Vener.

Facult. Theol. h. t. DECANI Specta-  
tissimi,

DN. PATRONI atq; PRÆCEPTORIS maxime  
Observeandi,

Publico Eruditorum Examini  
submissa

M. GEORGIO FRIDERICO MAGNO,

Posoniō-Hungaro,

In Auditorio Majori,

Ad Diem XIII. Januarii,

A. O. R. M. DC. LXX.

Horis Matutinis.

---

WITTEBERGÆ, Literis MICHAELIS METERL



VIRO  
NOBILISSIMO, AMPLISSIMO EXCELLEN-  
TISSIMO QUE,  
**DN. MARTINO CHRISTOPHORO**  
**M E Z G E R O,**

Phil. & Med. D. Experientissimo, & in Inclyta Ratisbo-  
nensi Republica Archiatro Celebratissimo,

*DN. Mecenati atque Studiorum suorum Promotori multis nominibus  
etatem devenerando;*



05 A 514 UT ET

VIRO  
EXCELENTISSIMO ATQUE PRÆCLARISSIMO,  
**D N . M . E L I Æ T H O M Æ ,**  
P.L. & Not. Cæl. nuper Gymnasii Posoniensis in Hunga-  
ria Inferiori Rectori optimè merito, jam Lycei Elisabethani, qvod  
Wratislaviæ est, Directori, vicinarumq; Scholarum  
Inspectori Gravissimo,

*DN. Preceptoris quondam suo dexterimo, nunc Patrono  
& Fautori colendissimo,*

Felicia ineuntis Anni auspicia gratulatus,  
omnigenamq; appreccatus prosperitatem,

*Hoc qualemq; perennantis obsequii documentum  
animiq; beneficiorum memoris  
μνημόσυνον*

Devoto pectore sacrat

**M. GEORGIUS FRIDERICUS MAGNUS,**  
Posoniô - Hungarus.

# QVÆSTIONES ANTI - SOCINIANÆ

## PRÆLIMINARES.

EX PRÆFATIONE CONFESSIONIS  
AUGUSTANÆ.

D E

# SCRIPTURA SACRA.

# QVÆSTIO PRIMA.

*An Scripturæ Sacræ certitudo sit infallibilis?*

三

Cum Augustana Confessio, tanquam Symbolum Ecclesiarum Orthodoxarum publicum, Scripturam Sacram in omnibus articulis, ceu doctrinæ salutaris principium respiciat, & in ipsa præfatione, tanquam fundamentum, eandem præsupponat; sicut ex §. Cum igitur: liquido satis appareat, ubi disertis verbis Illustrissimi Confessores testantur, quod in veræ religionis causa suam & suorum Concionatorum Confessionem offerant, cujusmodi doctrinam EX SCRIPTURIS-SANTIS & PURO VERBO DEI hactenus illi in terris, ducatibus, distinctionibus & urbibus Protestantium tradiderint, ac in Ecclesiis tractaverint: ideo non sine causa nunc exordium Dogmaticarum Controversiarum Socinianarum à Scriptura Sacra facimus, cum inter orthodoxos & adversarios hosce multa, de quibus controverti soleat, reperiantur.

2. Ut autem proprius ad quæstionem h. l præscriptam acceda-  
mus, prius ea, quæ non veniunt in controvèrsiam, hic removere  
placet. Non igitur quæritur (i) An Sociniani Scripturam sacram  
penitus inficiantur? nam licet magis scepticè, quām Theologicè, de Scri-  
ptura Sacra, vel ejus autoritate, verba faciant, quemadmodū præter  
alia non obscurè videre licet ex integro scripto Fausti Socini, de Scri-  
pturæ sacræ autoritate, & parum tribuant libris imprimis Testamento  
Veteris, quia juxta Smalz. in refut. monstr. p. 79. parum curandum est,  
quid dicat de cultu DEI Propheta Veteris Testamenti; eò tamen auda-  
ciæ nondum progressi sunt, ut omnem Scripturæ sacræ vel existen-  
tiæ, vel eminentiam, negare voluerint.

A

I. (2)

## DE SCRIPTURA SACRA.

3. (2) Nec quæritur de eo, num Sociniani patesfactionem aliquam divinam asserant? nam in scriptis suis omnino nonnunquam, sed rarius divinæ patesfactionis mentionem faciunt, etiamsi prolixè de autoribus & autoritate Scripturæ sacræ, vel, ut dicitur, ex professo tractationem instituere suscipiant, prout iterum ex integro libello de Autoritate Scripturæ Sacræ patet. Sic enim p. 64. scribit: Cum religio nequaquam res naturalis sit, sed, si vera est, patesfactio sit quædam divina, non modo verisimile est, sed prorsus fieri non potest, ut religio illa, quam Deus velit æternam esse, atque omnibus gentibus communem, ipsius certissimo ac singulari iussu & opera, passim in orbe terrarum cajucung; generis hominibus prædicata non fuerit. Sic etiam Socin. adv. Palæol. p. 530. fatetur, quod scripta Apostolica dictante Spiritu Sancto edita fuerint. Verum, uti dictum, rarius divinæ revelationis mentionem faciunt, incidenter etiam saltem eam introducunt, & aliis hypothesisibus parum certitudinis, & autoritatis Scripturis relinqunt, unde Socinus lib. de autor. script. c. i. ubi prolixè de autoribus Scripturæ Sacræ, eorumq; fide, differit p. 6. & seqq. ne semel quidem Spiritum Sanctum, ejusq; patesfactionem introdaci.

4. (3) Nec disqviritur de eo, annon aliquam certitudinem, vel auctoritatem Sociniani libris sacræ scripturæ tribuant? Nam hoc facile largimur, cum eo respiciat totus iste libellus: sed ista vel certitudo, vel autoritas, potius est humana, quam divina, quod ex libro totius evolutione patescit, cum primis ex causis illis, quas p. 6. recenser, & postea prolixè diducit: Quatuor sunt, inquit, ut videtur, causæ, cur jure dubitari possit de auctoritate libri cuiuspiam. Prima est, si scriptor parum sit fide dignus, aut non eiusmodi, de cuius fide & scientia dubitari nequeat. Altera est, si revera scriptor ignoretur. Tertia, si constet, aut justa suspicio sit, librum depravatum fuisse, aut aliquo modo immutatum. Quartæ vero & postrema, si non rejicienda testimonia adsint, quod libro isti nequaquam sit adhibenda fides. Si igitur demonstratum fuerit, nullam ex predictis quatuor causis locum habere in eo libro, qui Novum Testamentum appellatur, jam monstratum utique etiam fuerit, injuria de ejus auctoritate dubitari. Sic p. 13. libros Novi Testamenti taltem maiorum alio quovis libro auctoritatem tribuit: Dico igitur, quod attinet ad repugnantias, aut diversitates, quæ in Novi Testamenti scriptis veniuntur,

## DE SCRIPTURA SACRA.

untur, nullam esse, quae aut non videatur quidem vera, sed tamen non sit, aut, non in re sit parvi, sed potius nullius momenti. Quae viderit tantum possunt, nec tamen sunt revera, ea sunt, quae ad doctrinam spectant: in qua non modo nulla vera in scriptis illis repugnantia aut diversitas invenitur, sed tanta est concordia & convenientia, ut vel hoc satis esse deberet ad conciliandum libro illi AUCTORITATEM MAIOREM, quam quivis alius liber habeat, ubi doctrina aliqua traditur. Vix enim, aut ne vix quidem, scriptis unius tantum hominis, licet brevibus & paucis, tanta unquam doctrinæ ubiq; concordia & convenientia reperitur, quam in eo libro, qui ex tot diversis multorum scriptis constat.

5. (4) Sed quæritur de certitudine divina, eaq; ratione objeci, non eqvidem (a) de certitudine divini ortus, annon sic ortum divinum libri Canonici habeant, ut verbum merum DEI, nullum autem errorem, aut verum dissensum contineant? Nam scriptura sacra non verbum hominum, sed verbum DEI simpliciter continet. Falsum igitur est, quod affert Socin. lib. de autor. script. p. 14. fieri potuisse, ut alius alio talium rerum veritatem melius tenuerit, fortasse aliquantum, aut etiam multum diverse aliis ab alio scripsisset.

6. (b) Neq; de certitudine Authentici textus, quem alias Sociiani pariter dubium reddunt, dum corruptelas concedunt, eumq; non authenticum faciunt, ut quando Socin. d.l.p. 26. scribit: *Quod si depravatio sit aliquot locorum singularium, ex quibus nec doctrina, nec historia mutetur, quidnam hoc momenti habet?* Autor. disp. contr. Iudeos respons. ad quæst. 21. p. m. scribit; *multa vestigia corruptionis, vel depravationis Scriptorum culpa admissæ, in N. T. extare:* &. resp. ad quæst. 24. p. 115. dicit: *Cum Vetus Testamentum tot vulnera, sive per injuriam, sive per inscitiam librariorum acceperit, mirum non fore, si idem etiam scriptoribus Evangelii acciderit.* Et Socin. in lect. sacr. p. 55. ad illorum sententiam accedit, qui volunt LXX. Interpretum Editionem Græcam anteponi ipsi Ebraicæ, docent q; omni tempore aliquid corruptionis a Iudeis male seriatim in suam ipsorum Editionem inductum fuisse, præsertim post Christi tempora, adeoque si hodie aliquid inveniatur in Hebraico Textu V. T. ab eo diversum, quod citatur in N. T. ubi habita est ratio LXX. Interpretum, statuendum esse, veram lectionem potius eam esse, quæ apud Scriptores N. T. legitur, quam quæ hodie in Ebraicis Codicibus extat. Et

## DE SCRIPTURA SACRA.

p.97. in eam sententiam inclinat, quod syriacus Textus N. T. alieubi sinceror sit, quam textus Græci.

7. (c) Neq; de certitudine sensus verbalis, qva ratione scriptura dicitur certum sensum, alienum ab omni prorsus ambiguitate, qvoad intentionem autoris, & verborum conditionem, gignere: contrarium itidem hic Sociniani fingunt, ut est apud Schmalz. contr. Franz. p. 81. Nihil dubitandum est, Christum ita locutum fuisse studio, ne hoc & illo modo verba ipsius intelligi possint, ut homines improbi, verbis non considerantes, haberent, quod speciose caperent: hic enim Christi mos fuit, homines improbos suis sermonibus quasi intricare.

8. (d) Neq; de certitudine sensus realis, cum debita relatione ad ipsa mysteria, qvæ propterea credere debemus, qvia vel semel, vel iterum, manifestis verbis in verbo DEI revelata fuerunt, secus atq; docent Sociniani apud Socin. de Natura Christi p. 17. Si aliqua in divinis monumentis loca reperientur, ubi diserte scriptum extaret, DEum hominem factum fuisse, aut humanam carnem induisse, vel assumisse, quod tamen nunquam in eis traditum repieres, non statim ita, ut sonant, verba accipienda essent, cum id majestati divinae prorsus repugnet, sed ea ratione exponi deberent, ut per figuratas, a loquendi usu non penitus abhorrentes, & aptior sententia nobis constaret, & ipsa natura funditus non everteretur, quod certe tunc semper fiet, cum divina oracula ita interpretabimur, ut inde aliquid consequatur, quod plane impossibile esse, & Deus & natura docuerit. Schmalz. hom. IIX. in cap. I. Ioh. Credimus etiamsi non semel atq; iterum, sed satis crebro & apertissime Spiritum extaret, DEum esse Hominem factum, multo satius esse, qvia hæc res sit absurdæ, & sanæ rationi plane contraria, & in DEum blasphema, MODUM aliquem DICENDI COMMUNISCI, quo ista de DEO dici possint, quam ista simpliciter, ut verba sonant, intelligere.

9. (e) Neque de certitudine usus, sive verbalis, sive doctrinalis, sive spiritualis, respectu cuius Sociniani pariter ab orthodoxia recedunt, cum usum vocum incertum fingant, ut est apud Socin. de baptism. p. 24. doctrinam pariter incertam reddant, ut ex th. præc. liquet; & frumentum spiritualem etiam absque illuminacione, vel operatione Spiritus sancti statuant, soli rationi relinquant, & sic prorsus incertum efficiant apud Ostor. in Instit. p. 3. Hæc & alia licet inter Nos & Socinianos

## DE SCRIPTURA SACRA.

cinianos non parum controversa sint, hic tamen illa directe non attendimus.

10. (f) Sed agitur de certitudine Status, An Scriptura Sacra quoad statum proprium sit infallibiliter certa, vel an ejus certitudo sit infallibilis, sive illa consideretur ratione DEI, qvia sic immediatam à DEO certitudinem, eamque prorsus infallibilem possidet: sive ratione sui, sic divina prorsus inspiratione, divini sensus informatione, & divina autoritate gaudet, ac propter infallibilem certitudinem in se dicitur principium primum, ἀνθρώπον, αὐτοδεῖν & αὐτοῦ πόνον; sive ratione nostri, qvia nobis etiam infallibiliter certum DEI verbum, cui certo credere, nosque totos cum omni cognitione, fide & salute, tuto committere queamus. Hic nos Affirmativam probamus, Socinianis autem negativa sententia placet.

11. Pro nostra sententia plurima fundamenta produci possent, nunc lectorum benevolum ad Venerandi Dn. D. Calovii Socinism. Proflig. remittimus, qvi sect. 2. membr. 1. pro nostra parte X. rationes adducit, (1) è natura Principii (2) è certitudine conclusionum Theologicarum (3) è certitudine conscientiae in omnibus. (4) è natura fidei. (5) è certitudine gratiae & salutis. (6) è consequenti absurditate meri Pyrrhonismi. (7) à fine scripturæ (8) è causa infidelitatis (9) è scripturæ sacræ Efficientia & virtute (10) è documentis infallibilitatis Scripturæ sacræ. Qvæ rationes pluribus expositæ d. l. legantur.

12. Qvod attinet fundamenta sententiae contrariæ, magis σοχαστικῶς, Δελεκτικῶς & σκεψικῶς illa, qvam διδακτικῶς in cito libello de Autor. script. ptoponuntur, sicut cuilibet ex evolutione patebit, nos illa potissimum adsumemus, qvæ directe nostræ sententiæ cap. 5. p. 78. opponere videtur, qvia colophonis instar illa lectoribus commendare voluit. Visum est nobis, inquit, antequam huic nostræ scriptiori finem imponamus, monere lectorum, eos, qvi, ut iis fidem adjungant, qvæ scripta sunt in veteri novoq; Testamento, ejusmodi argumenta & rationes postulant, qvibus nemo sese opponere, aut repugnare queat, qvæq; unicuique ejus rei certam & indubitatam fidem faciant. Hic indubitatam & infallibilem Scripturæ certitudinem, ejusque probationem immotam, adeoque sic orthodoxam sententiam impugnat, probabilitatem solam infert, sicut c. 4. p. 78. concludit his ver-

## DE SCRIPTURA SACRA.

bis: Per ea, quæ hactenus disputata sunt, arbitramur, satis demonstratum fuisse, MAIOREM FIDEM adhibendam esse libris Veteris & Novi Testamenti, sive quod historiam, sive quod ad doctrinam attinet, quam plerisque alii libris soleat, eumque, qui illis fidem non adjungat, nulla probabilitate inde deterreri. Dist. tamen inter Christianos, & non Christianos, illi scripturam ut certam, hi prius ut incertam, illi tantum verbum divinum, hi tantum verbum historicum, illi tantum principium, hi tantum principiatum &c. recipiunt: in illis fides gignitur, in his opinio primum, post fides requiritur: illi tantum διδασκαλίας, hi tantum πατριαρχίας primum scripturam admittere tenentur. Dist. inter argumenta primaria & secundaria: dantur evidenter fundamenta certitudinis scripturæ secundaria, quæ probabilitia, sed propterea non neganda, vel omissa primaria, quæ prorsus infallibilia.

13. Probat vero suam sententiam (I) à natura veræ religionis in genere, quia tales indubitate certitudinis, ejusq; demonstrationis assertores ostendunt, se religionis naturam parum attente considerare, quæ ea est, ut quemadmodum multi loquuntur, fidei meritum requirat, sitq; hominum probitatis, tantum lapis quidam lydius, præsertim vero ejus religionis, quæ Novo Testamento continetur, de qua unâ ob causam, quæ saepius dicta est, sat is est nos loqui. Argumentum esset tale: Qvicunq; certitudinem indubitatem, vel ejus fidem certam asserunt, illi religionis veræ naturam non considerant: ratio conseq. quia religio vera meritum fidei requirit, & hominum probitatis est, tantum lapis quidam lydius: Lutherani hoc faciunt, Ergo: R. (1) quid per fidei meritum intelligat Socinus, luculenter nec indicat, nec explicat: quid multi loquantur, Socinianus alias non placet. Nobis Lutheranis nullum est fidei meritum; si Papistaru fidei meritū intendit, illud αὐτοῖς, αὐτοῖς & fidei Christianæ non αὐτοῖς. (2) Si per fidei meritum fides ipsa notetur, & per studium probitatis, ejus consequens, sicut fides est viva Iacob. II. 20. & ἡ ζεγγύα μάθητη Gal. V. 5: in bonis operibus, verissimum est, quod vera religio fidem & studium probitatis requirat, sed inde medium religionis certum & indubitatum non excluditur, verum includitur, immo presupponitur: sicut enim vera fides, & vera pietas suam & habet, & habere debet certitudinem, cum vagafides sit

## DE SCRIPTURA SACRA.

Si nulla fides, vagapietas sit vanapietas, ita certitudo pariter in utriusque principio reqviritur: nihil enim certitudinis, vel autoritatis, sive dignitatis, vel perfectionis alius, in effectu reperitur, qvod non antea fuerit in causa: hinc argumentum illud potius invertitur. Si fides vera, certa fides, pietas vera, certa pietas, seqvitur etiam, qvod scriptura sacra sit certa, vel indubitata, & nitatur etiam rationibus indubitatis. At verum prius: E. (3) Dist. tamen inter certitudinem objectivam, respectu ipsius scripture, & subjectivam, respectu voluntatis humanæ: Scriptura religionis, vel fidei & pietatis est lapis lydius, sed non omnes hoc lapide convenienter utuntur, nec omnes ad fidem & pietatem verè convertuntur: Illud proprietatis est, hoc accidentis, illud effectus, hoc eventus.

14. (II). A natura religionis Novi Testamenti in specie: Si Novi Testamenti scriptæ ejusmodi essent, ut nemo ulla ratione negare posset, ea esse veridica, neminem etiam fore, qui non modo religionem non profitetur in eis comprehensam, id est, se esse Christianum: verum etiam talis re ipsa non esset, hoc est Iesu Christo non obediret: Iam autem non omnes Iesum Christum profitentur, nec omnes sunt veri Christiani, vel Christo re ipsa obediunt. Ergo. R. (1) à posse ad debere non valet consequentia, non enim seqvitur, si propter argumenta certissima scripture negari non debet, qvod inde negari non possit, aut si negari potest, qvod inde quoque negari debeat. (2) Nemo nostrum dicit, qvod scripture vel Novi, vel Vet. Testamenti cum suis fundamentis ita sit comparata, ut nemo vel ulla ratione negare eam possit: nihil enim tam certum, & tam apertum est, qvod non possit vel in totū, vel in tantum negari. Nam ipse DEUS, qui notissimus omnibus vel ex natura, sicut adversarii saniores inficiari non audent, à multis negatur, & ab aliis negari potest, ejus tamen & existentias & notitia satis certa, satisq; certis nititur documentis. (3) Causa vera semper agit, sed nisi impediatur: sic etiā scripture cum immota sua certitudine semper in hominibus pareret indubitatum effectum, nisi homo resisteret, & efficaciam scripturæ contra DEI voluntatem, & scripturæ spiritualem virtutem impedimenta poneret. Hinc à certitudine scripture non licet ad certitudinem fidei, vel obedientiae spiritualis, in nobis hominibus argumentari: à veritate causa non licet.

## DE SCRIPTURA SACRA.

licet inferre semper effectus veritatis, nūm. ἀπεγνωσθε, licer  
ἐρεγέταις respectu, causa suas edat semper operationes.

15. Hoc autem argumentum *Socinus* porro confirmare nititur à Novi Testamenti præmio, qva ratione urget (a) Præmii Christianorum magnitudinem. Nam præmium, inquit, in libris N. T. propositum iis, qui Christo obedierint, adeo magnum est, adeoq; desiderabile, ut nemō sit, qvī ejus consequendigratia, majora etiam iis non faceret, qvæ Iesus Christus præcepit (si modo majora fieri possunt) ubi compertum haberet, se præmium istud adepturum, ut certe haberet, si verissima esse crederet ea omnia, qvæ in Novo Testamento sunt scripta. Argumentum foret tale: Si Christianæ fidei & obedientiæ maximum & desiderabile præmium propositum est, seqvitur, qvod omnes & profiteantur, & sint Christiani, si certissima sint argumenta, tale præmium notificantia. Sed verum prius. Ergo. R. (1) Confundit certitudinem scripturæ eum certitudine fidei, vel obedientiæ nostræ: de illa qvæstio loquitur, de hac argumentum intelligitur. Dist. igitur inter certitudinem objectivam, & subjectivam. Hinc negatur consequentia, qvæ hoc modo corrigenda venit: si Christianæ fidei & obedientiæ maximum præmium propositum est, seqvitur, qvod ex se comparatum sit ita præmium istud, ut omnes ad fidem & obedientiam excitare possit, & quantum in se est, sua virtute excitat. Hinc (2) dist. inter excitationem causalē & eventuālē: excitat per verbum causaliter, sed eventuālis excitatio, respectu subjectorum, non seqvitur. (3) Dist. inter jus, vel debitum, & factum: de jure, vel ex debito, propter præmii magnitudinem omnes credere deberent, sed de facto propterea non omnes statim auctu credunt.

16. (b) Præmii Christianorum certitudinem, vel ipsum bonorum & malorum discriminem. Ita pergit, nullum inter malos & bonos discriminem existeret, nec ulla causa bene ac male agendi, eoq; nec virtutis remunerandæ, & vitii puniendi. Quandoquidem ex eo, qvod præmium, cum ab initio proponitur, incertum est, fit ut mali à nobis nternoscantur. Qvi enim bonus, id est, probus est, & cogitatione ac voluntate ad eam facienda propensus, qvæ justa & honesta sunt, atq; ejusmodi, qualia IESUS Christus præcepit, aut saltē ab eis animo non est alienus, facile credit, qvæ audit de ingente præmio iis proposito, qvi ista fecerint, qvanvis id  
aper-

## DE SCRIPTURA SACRA.

aperte non videat, modo de eo spes aliqua appareat, & ita credens, omnibus viribus aggreditur, ut ista faciat. Qui verò malus est atq; improbus, nec quidquam justis honestisq; rebus delectatur, earumq; similibus, quæ à Iesu Christo præceptæ fuerunt, aut certe ista parum curat, cum audit verba fieri de præmio iis proposito, qui ea fecerint, quo majus illud esse audit, eo minus credit. Quod si tamen propter magnas, quæ ejus sunt, conjecturas, aliquam ejus habet opinionem, ea infirma est adeo, ut efficere nequeat, ut is malos suos mores deferat, unaq; cum illis delectationem, aut honorem, aut utilitatem, quam inde vel sperat, vel jam experitur. R. (1) contrarium potius inde colligitur, quia præmium incertum nullum certum post se trahit studium, nec ullum certum exercitium: sed quæ certo promissa sunt præmia, licet cum difficultate conjuncta sint, tamen ad quælibet opera difficilia sectatores cupidos excitare conveverant. (2) Discrimen inter bonos & malos Christianos potissimum à fide sumitur; quæ cum sit  $\pi\lambda\nu\epsilon\varphi\alpha$ ,  $\pi\epsilon\nu\delta\eta\sigma\epsilon$ ,  $\pi\alpha\rho\pi\eta\sigma\alpha$  summam certè reqvirit certitudinem in verbo, cum ex auditu verbi proficiscatur Rom. X. 17. Et hæc fides bonos excitat etiam ad obedientiæ studium, sed opinio, vel nuda persuasio, seu conjecturæ, vel ejus generis alia, nec fidem, nec obedientiam excitare possunt, id quod ipse Socinus fateri cogitur. [3] Præmium, quod Christi fideliibus promittitur, est prorsus supra rationem, adeoque nec cognosci, nec appeti, nec obtineri posset, nisi verbum certum in hominibus fidem operaretur: hæc autem fides certa una cum certa præmii cognitione, vel expectatioe, verbi divini certitudinem præreqvirit.

17. (III) A natura sapientiæ divinæ, quia sapientissime DEUS voluit, ut præmium immortalatis, id est, rei cunctis desideratissimæ, à se omnibus propositum, quicunq; Iesu Christo obedierint, humano generi, paucis quibusdam exceptis, qui nimicum fidem facere aliis possent eorum, quæ ipsi viderant, certum indubitatumq; ulla ratione appareret, & idcirco nequam fecit, ut Novi Testamenti scripta, in quib; ejus præmii apertissima fit mentio, quæq; de eo constanter affirmant, ejusmodi essent, ut nullo modo quisquam sese iis opponere posset. R. (1) Sapientiæ divinæ potius consentaneum est, ut quæ sunt divina, certa, non incerta sint, cum Deum & res divinas omnis incertitudo fugiat. (2) Deus noster Pater est, & nos in Christo, ceu filios, diligit: parentes autem ex

B

amore



## DE SCRIPTURA SACRA.

amore liberos, non incertis, sed certis præmis ad obedientiam excitare conseruerunt. (3) Præmium immortalitatis prius promissum, in Christo fundatum, adeoque verè dicitur certum & indubiatum, cum omnes in ipso promissiones sint Amen II. Cor. I. 20. quod multo magis de nobilissimo præmio dicendum erit. (4) Licet increduli, vel contumaces se scripturis clarissimis atque certissimis oppondere possint, & actualiter opponant, tamen hoc fit non ex verbi DEI natura, sed potius ex cordis humani vel ignorantia, vel malitia, vel contumacia.

18. (IV.) Anatura divinæ voluntatis, quia DEUS satis esse voluit, si & hæc scripta, & alia, quæ sunt, ejus præmii argumenta, ejusmodi forent, quibus jure & possit, & debeat fides adhiberi, talia demum, ut ei, qui probus est, aut ita comparatus, ut probus facile evadere queat: ei vero, qui improbus est, & præ malitia sua probus fieri nequit, non sint satis: ut hac ratione illorum probitate detecta, horumq; malitia, justissimam causam habeat, hos quidem puniendi, illos vero præmio afficiendi: tum quia ita convenire videtur: tum multo magis, ut hoc pacto in illis summam suam misericordiam, in his vero justam severitatem exerceat, in ultiisq; autem admirabilem suam potentiam, supremumq; universitatis rerum, quod habet, dominatum atq; imperium infinita, immortalisq; sua cum gloria patefaciat. (1) R<sup>e</sup>. Hæc omnia dicuntur, non probantur: Ea proinde facilitate, quæ producuntur, etiam rejiciuntur. (2) Dist. inter voluntatem divinam juxta divinam revelationem, & secundum humanam speculationem consideratam: hæc, quæ cum Calvinianis communia fingunt de voluntatis divinæ decretis Sociniani, modo dimittimus, nec hic refellere debemus, cum aliis sint loci. (3) Verbum DEI unum & idem bonis & malis proponitur, sicut idem semen in viam, in petram, inter spinas & in terram bonam spargitur Luc. II X. 3. seqq. falsum igitur, quod verbum DEI sit ita comparatum, ut probis satis esse, malis non satis esse possit.

## QVÆSTIO SECUNDA.

Utrum Scriptores sacri memoria labi potuerint, & actu quoq;  
in libris sacris consignandis aliquando lapsi sint?

I. In Quæstionis hujus statu formando notandum est, quod  
minim-

## DE SCRIPTURA SACRA.

miniime de scriptoribus sacris sermo sit (1) ratione generalis conditio-  
nis, qvatenus homines fuerunt: qvod enim homines labi possint,  
& actu quoq; s̄apius errent, illud ex humānæ natura corruptione  
liqido fatis appareat, cum ex sacris literis notum sit, qvod omnis  
homo mendax Rom. III. 4. (2) neq; ratione conditionis specialis,  
qvatenus fuerunt Ecclesiastici Doctores: nam Doctores etiam lapsi-  
bus humanis obnoxii sunt, & non ullum inter homines genus in-  
venitur, cui magis insidias Diabolus struat, cum in ministris D EI  
seducendis lapidem omnem moveat, qvemadmodum exempla  
biblica & Ecclesiastica contestantur. (3) neq; simpliciter ratione  
singularis conditionis, qvatenus Doctores θεόπνευστοι fuerunt. Notum  
enim est, qvod Doctores θεόπνευστοι dupliciter considerari possint,  
1. materialiter, qvaten, aliquando θεόπνευστοι fuerunt, & iterū tales  
esse potuerunt, cum Spiritus S. p̄ libertate sua certa qvædam ob-  
servarit tempora, & θεοπνοη admiserit intervalla, qvemadmo-  
dum ex Haronis, Nathanis, Elisei, Ieremie, & aliorum Prophetarum exem-  
plis est manifestum, qvi non semper divinum ad revelationes  
motum præsentem, sibiq; perpetuum possederunt, sed certis tem-  
porum intervallis eundem expectarunt & acceperunt, qvo perti-  
nent phrasēs, verbum Domini factum est ad hunc, vel illum, Spi-  
ritus Domini venit vel irruit, super hunc, vel illum. Et ex Natha-  
nis II. Sam. VII. 3. & Petri Gal. II. 11. exemplis apertum est, qvod viri  
θεόπνευστοι, materialiter considerati, suis etiam opinionibus, vel con-  
jecturis indulserint: vel formaliter, qvatenus actu θεόπνευστοi fue-  
runt, & ex impulsu Spiritus Sancti revelationes suas protulerunt.

2. Hinc etiam porro non est qvæst. o de scripturis, vel epistolis  
virorum θεόπνευστorū humanis, siquidem varios alias libros edere,  
vel etiam epistolas in causis illicitis scribere potuerunt, sicut lite-  
ras Uriæ David scripsit ad Ioabum, & Salomon varios libros consignavit  
derebus naturalibus: sed de scripturis vere, mereq; divinis, qvæ ex sin-  
gulari providentia divina, propter cœlestis veritatis revelatio-  
nem, ad Canonem fidei, vitæq; referri debuerunt.

3. Nos qvæstionis negativam juxta rei veritatem defendimus,  
qvam Venerandus Dn. D. Calovius in Socinism. profig. de Script. Sac.  
contr. 2. prolixè demonstrat (1) ab autore scripturæ principali. (2) à  
θεόπνευστa scripturæ. (3) à directione Spiritus S. (4) à revelationis divinæ

## DE SCRIPTURA SACRA.

infallibilitate. (5) à scripturæ sacræ fine. (6) à periculo suspicionis de veritate totius scripturæ. (7) ab absurdo, quod tota scriptura non sit DEI verbum. (8) ab incertitudine scripturæ sacræ universæ. (9) à defectu exempli. (10) à Confessione Volckelij lib. 6. de Verarelig. c. 9. p. 651. quod tum singulorum fidelium, tum totius Ecclesiæ judicium ad certam aliquam regulam ac normam conformari oporteat, si modo errare nolit: quodij; hæc norma omnium confessione, DEI verbum sit, & quod DEI verbum absq; erroris suspicione non aliunde, nisi ex S.L. de quarum veritate universus Christianus orbis consentiat, peti posset: hinc probat Volckelius illud Augustini: Non oportet in tam sublimi autoritate judicare, etiam si quid inibi non lacet, quoniam submittimus ei nostrum intellectum, certumq; habemus etiam, quod clausum est aspectibus nostris, recte veraciterq; dictum esse.

3. Sed hoc non obstante Socinus cum aliis affirmativam quæstionis tueri conatus lib. de autorit. script. p. 14. fieri potuisse, ut alius alio talium rerum veritatem melius tenerit, fortasse aliquantum, aut etiam multum diverse alius ab alio scripsit p. 71 fieri potuisse, ut ipsi hac in parte nonnunquam leviter errassent. In lect. Sacr. p. 79. de loco Matt. XXVII. 9. non esse falsitatem appellandam, ubi non modo lapsus tantum memoriæ esse potest, sed etiam is lapsus nihil rem mutat, & nihil falsi, quod attinet rem ipsam, de qua quæritur, omnino inducit. In primis autem in toto libello isto de autor. script. tales rationes adducit, quæ lapsus & errores scriptoribus & scriptis sacris conciliare videntur. Quantum equidem potest, emollire conatur absurdam sententiam suam, nunquam autem eam sufficienter probare poterit. Occasionem autem hujus erroris desumit à repugnantibus apparentibus: Sic enim pag. 13. scribit: Dico igitur, quod attinet ad repugnantias, aut diversitates, quæ in Novi Testamenti scriptis inveniuntur, nullam esse, quæ aut non videatur quidem vera, sed tamen non sit, aut non in resto parvi, sed potius nullius momenti. Quod concernit apparentes contradictiones, de iis pergit: Quæ videri tantum possunt, nec tamen sunt re vera, ea sunt, quæ ad doctrinam spectant: in quæ non modo nulla vera in scriptis illis repugnantia, aut diversitas iuvenitur, sed tanta est concordia & convenientia, ut vel hoc satis esse deberet ad conciliandam illam libro auctoritatem majorem, quam quivis alius liber habeat, ubi doctrina aliqua tradatur. Vix enim, ac ne vix quidem scriptis unius tantum hominis, liget brevibus & paucis, tanta unquam doctrinæ concordia & convenientia

repe-



## DE SCRIPTURA SACRA.

reperietur, quanta in eo libro, qui ex tot diversis multorum scriptis constat.  
R. (1) quod omnes contradictiones, vel repugnantiae, quae sacris literis tribuuntur, tantum apparentes, non verae sint, jam dudum est demonstratum. (2) Apparentes contradictiones non respectu verbi, sed respectu nostri tales dicuntur: nobis tales apparent, sed in verbo tales non sunt. (3) Falsum etiam, quod in re parvi, vel etiam nullius momenti sint contradictiones, cum divina veritas in re nulla contradictiones admittat: veritas in omnibus sibi constat, sive magni, sive parvi sint momenti. (4) Si libri scripturarum sacrarum natura saltem eandem habent autoritatem cum aliis scriptis humanis, licet gradu major sit autoritas, quam vivis aliis liber habeat; tamen humana tantum est autoritas, & sic nec scripta, nec scriptores sacrarum literarum immunitatem ab erroribus habebunt: jam illud totidem verbis asserit Socinus: & sic immunitatem sacrarum literarum ab erroribus vehementer infringit, vel ad minimum dubiam & suspectam reddit.

4. (II) Quia repugnantiae, aut diversitates, seu verae, seu quae videbitur tantum possunt, quae in rebus sunt parvi momenti, esse sunt, quae pertinent ad historium. R. (1) repugnantiae in historiis etiam tantum apparentes sunt, & quae sicut in doctrinalibus, nec ulla vera contrarietas in sacris historiis occurrit. (2) Dist. inter diversitates, & repugnantias vel contrarietates: illae reperiuntur in sacris historiis, haec minimè: jam autem haec, non illae falsitatem arguunt. Hinc (3) dist. inter diversa sine pugna & cum pugna: non haec, sed illa veritas admittit, sive divina sit, sive humana: unde historiam unam, vel alteram diversis circumstantiis notare, non est, vel ipsam historiam, vel ab alio notatas circumstantias negare, sed potius aliis circumstantiis rem eandem illustrare. (4) Non opus est, ut hic singatur respectu divinæ veritatis aliqua doctrinæ prærogativa præ historiis sacrarum, cum historiæ sacræ quoque simplicem & infallibilem veritatem requirant, siquidem una tantum DEI veritas, quæ non potest sibi non constare: sive proinde circumstantiae parvi, vel magni, sint momenti, DEUS in illis nec fallitur, nec falli potest, nec alios fallere cupit.

5. (III) Ex autoritate Chrysostomi: Quia hac in re nihil aliud est

## DE SCRIPTURA SACRA.

opus, nisi ea videre, quæ scripsit Iohannes, qui Chrysostomus est dictus, in proœmio commentariorum suorum in Evangelium Matthæi. Ubi si recte memini, plene huic quorundam objectioni respondet, contra auctoritatem nominatim quatuor Evangelistarum, & fidem eorum narrationibus adjungendam. Summa est, eos nihil prorsus inter se dissentire in iis historicis partibus, quæ alicujus sint momenti. R<sup>2</sup>. (1) duo cum dicunt idem, non est idem, juxta vulgatum: aliud quando Pater orthodoxus aliquid ex orthodoxa mente profert, aliud quando Doctor heterodoxus ex hæretica mente quædam profert. (2) Si quis integrum B. Chrysostomi locum inspicerit, potius pro consensu, quam dissensu Evangelistarum (de his enim ipsi sermo) ipsum disputare deprehendere poterit. (3) Chrysostomus loquitur de diversitate, non de contrarietate, itemque de differentia circumstantiarum, non de repugnantia, vel rerum, vel circumstantiarum. Cum quatuor sint, Hom. i. p. 12. inquit, qui Evangelia conscribant, nec eisdem temporibus, nec in eisdem locis, neque pariter congregati, & inter se conferentes, & tamen quasi uno ore omnia pronunciant, fit hoc sine dubio veritatis quærendæ indicium. Verum est contrarij, inquis, ista res accidit: in multis enim disfidere redarguntur. Imò hoc ipsum maximum est testimonium veritatis. Si enim ad unum in omnibus consonarent, etiam usque ad tempora, ac loca, ipsaque adeo verba, nemō inimicus credidisset unquam, eos non communi ad decipiendum consilio congregatos, quasi ex humana quadam conspiratione Evangelium condidisse. Non enim simplicitatis suis tam sollicitam consonantiam judicarent. Nunc vero, quæ VIDETUR in rebus exiguis Dissonantia, ab omni illos suspitione defendit, & satis clare scribentium existimationem tuetur. Si vero aliquid de temporibus, ac locis varie dixerunt, nihil quidem dictorum obest veritati &c. Et p. 13. certe aliud est, diverso modo quid dicere, aliud adverso. Ex quibus apertum, quod B. Chrysostomus de diversis, non adversis, de varietate, non contrarietate, de dissonantia, non de repugnantia circumstantiarum loqvatur, quemadmodum clare satis ipsum indicat: nihil proinde Socinus patrocinii, pro commento suo, in verbis Chrysostomi reperire poterit. (4) Notum est, quod ad eas leges neque profani historici sint alligati, ut simpliciter iisdem verbis, circumstantiis, vel aliis respectibus simpliciter identificatis, historias

refe-



## DE SCRIPTURA SACRA.

referant, cum pro diversitate scopi, methodi, subjecti &c: variare se-  
leant, multo minus ea de scriptoribus & historiis biblicis libertas  
neganda venit.

6. (IV) *Qvia qvod in rebus minimis inter se differant, hoc non so-  
lum illis minuere, sed etiam augere debet autoritatem & fidem* Hinc  
enim apparet, eos non scripsisse quipiam, ab ipsis communi consensu confi-  
ctum, reg; vera diversos scriptores fuisse, qvirei gest& veritate compulsi  
idem reipsa aperte scripserunt. Rz. (1) Scriptura suam autoritatem &  
fidem hic nec à convenientia, nec à differentia, sed potius à *Geonversiæ*  
habere dicitur: rectius igitur Socinus fecisset, si in hoc de autoriti-  
tate Scripturæ tractatu semper ad *Geonversian* respexisset. (2) à di-  
versitate circumstantiarum non licet ad differentiam, multo minus ad  
contrarietatem rerum collectionem instituere: juxta Chrysostomum, ut  
notavimus, in circumstantiis datur diversitas, sed de rebus ipsis Soci-  
nus diversitatem, vel etiam contrarietatem asserit. (3) Sic etiam  
minime licet à diversitate circumstantiarum ad errores, vel etiam  
memoriæ lapsus argumentari, cuin aliæ plures, eaq; graves subesse  
possint causæ, propter quas Historicus in annotandis circumstan-  
tiis variet, & alias atq; alias circumstantias prudenter adducat,  
quas non statim qvilibet lector observare potest. Tales autem  
errores, & memoriæ lapsus Scripturæ sacræ Socinus imputare cona-  
tur.

7. (V) *Qvia tantum in quibusdam paucis rebus, & quæ nullius  
sunt ponderis, differunt.* Rz. (1) à differentia rursus ad repugnantiam  
argumentari N. V. C. (2) pauci errores etiam veri errores, & leves  
errores etiam sunt veri errores: de DEO verò, DEIq; verbo nec  
paucos, nec leves errores concedere possumus, cuin certum sit,  
qvod Deus omnis erroris & contradictionis, vel etiam veræ dis-  
fensionis expers sit, cum ipsissima veritas sit, quæ sibi semper  
constat.

8. (VI) *Qvia fieri potuit, ut alius alio talium rerum veritatem  
melius tenuerit, fortasse aliquantum, aut etiam multum diverse alius ab  
alio scripserit.* Rz. (1) à posse ad esse non valet consequentia: multa  
fieri possunt, quæ tamen non fiunt. (2) Falsum est, qvod hoc  
fieri potuerit, cum certum sit, qvod scriptores non ex se, sed ex

DEO

## DE SCRIPTURA SACRA.

DEO, non ex proprio conceptu, sed ex divinæ revelationis ac inspiratio-  
nis motu scripserint, qvia  $\pi\alpha\sigma\alpha$   $\chi\alpha\Phi\eta$   $\text{Geōπνευσ}\sigma$  II. Tim. III. 16.  
nec ex propria, sed ex divina voluntate scripserunt II. Pet. I. 21. (3)  
inter notitiam acquisitam & infusam: qvoad illam, aliis alio veri-  
tatem rerum melius tenere potest, sed qvoad hanc qilibet ita res  
tenet, qvemadmodum divina revelatio dicitat. (4) Dist. inter  
scriptum ex humana scientia consignatum, & ex divina  $\text{Geōπνευσ}\sigma$  tra-  
ditum: libri biblici non ex humana scientia, qva veritatem unus  
alio melius, vel plenius tenere potest, sed ex divina  $\text{Geōπνευσ}\sigma$  &  
traditi sunt. (5) ab aliorum scriptione ad oppositorum, vel etiam erro-  
rum scriptiōnē argumentari non licet.

9. (VII) Qvia, hoc posito, Christianam religionem esse veram, nul-  
lomodo est verisimile, qvemq; am ex varietate qvapiam, aut etiam repu-  
gnantia, qvæ in rebus admodum levibus reperiatur in scriptoribus, qvi adeo  
antiqitus, adeoq; communi consensu a Christianis sunt approbati, cau-  
sam arrepturum, de fide, aut scientia illorum dubitandi in iis rebus, ubi in-  
ter se convenient, & in eo, qvod reipsa qilibet eorum narrat, nisi aliunde  
ipſi constet, eos in his rebus interdum id scripsisse, qvod minime sit verum.  
Rz. (1) licet ponatur, Christianam religionem esse veram, tamen non  
statim inde seqvitur, qvod sacri scriptores infallibiliter DEI ver-  
bum, ab omnibus erroribus vacuum, scripserint, cum non omne  
verum sit infallibile, sed etiam detur verum probabile, nec licet ab ob-  
jecto, qvale Christiana religio dicitur, simpliciter ad medium, qvod  
DEI verbum est, argumentari. (2) Notum est, qvod alii quoq; li-  
bri de rebus Christianam religionem concernentibus invenian-  
tur, cum antiquissima scripta Patrum extent, neq; tamen ab eo-  
rum consensu ad infallibilitatem & errorum immunitatem argumenta-  
ri licet: idem ergo valebit de libris biblicis, qva ratione parem, vel  
non prorsus inæqvalem autoritatem cum scriptura consentien-  
tes libri Patrum obtinere poterunt, qvod falsissimum. (3) Dist.  
inter scriptores, qvatenus  $\alpha\omega\beta\epsilon\gamma\pi\delta\pi\nu\epsilon\sigma\sigma$ , vel  $\delta\alpha\beta\omega\iota\epsilon\pi\nu\epsilon\sigma\sigma$ , & qvatenus  $\text{Geōπνευσ}\sigma$ : priori modo verè sunt erroribus obnoxii, posterio-  
ri minimè: licet igitur in aliis  $\text{Geōπνευσ}\sigma$  scriptores erraverint,  
& verum, vel bonum minime scripserint, sicut David in literis  
 $\text{Uri}$  & consignandis fecit, tamen hoc nihil præjudicii scripturis  $\text{Geōπνευσ}\sigma$  afferre potest, qvæ sunt & manent immunes ab omni er-  
rore.

05 A 514

ULB Halle  
004 208 234

3




1077

28



**Farbkarte #13**



I. N. J.  
DISPUTATIO THEOLOGICA  
ANTI-SOCINIANA  
*De*  
**SCRIPTURA SACRA.**  
In Illustri Academia Wittebergensi,  
SUB  
**P R Ä S I D I O**  
VIRI  
*Maximè Reverendi, Amplissimi Excellentissimiq;*,  
**DN. JOHANNIS DEUTSCH-**  
**MANNI,**  
SS. Theol. D. Ejusdemq; Prof. Publ. longè Celeberrimi,  
Alumnorum ELECTORALIUM Ephori gravissimi, ut & Vener.  
Facult. Theol. h. t. DECANI Specta-  
tissimi,  
*DN. PATRONI atq; PRÄCEPTORIS maxime*  
*Observandi,*  
Publico Eruditorum Examini  
submissa  
**M. GEORGIO FRIDERICO MAGNO,**  
Posoniò-Hungaro,  
*In Auditorio Majori,*  
*Ad Diem XIII. Januarii,*  
*A. O. R. M. DC. LXX.*  
*Horis Matutinis.*  
WITTEBERGÆ, Literis MICHAELIS METERL